

Solicitud del Obispo de Madrid-Alcalá a la Sagrada Congregación de Religiosos, en la que pide el nihil obstat de la Santa Sede para la erección diocesana de la Sociedad Sacerdotal de la Santa Cruz; 22- VI-1943.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un

carisma". Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

12/01/2012

.AGP, Sezione Giuridica, 111/15078

Emme ac Rvdme Domine:

Presbyter D. Josephus Maria Escrivá de Balaguer et Albás, post quosdam impensos apostolici laboris annos in pie efformandis alumnis Universitatum Status, meis omnimodis et ,adprobatione et benedictione associationem instituit huic apostolatui incumbentem, cuius specificus finis juventutem Universitariam in christiana pietate colere atque in summam studiorum professionalium perfectionem impeliere; eo quidem scopo ut hi alumni dein, optima efformatione

technica professionali pariterque
sincera et mentis et cordis
religiositate imbuti, efficacem
exerceant influxum super populum e
variis administrationis civilis
gradibus, jugiter Sanctae Matri
Ecclesiae inservientes et
quammaxime filiali obedientia
Episcopis Dioecesanis adhaerentes.
In omnibus quos ipsi hucusque
aggressi sunt laboribus, intima
semper communicatione cum
Auctoritate Dioecesana, cui sane tan
constanti quam filiali devotioni
subduntur, processerunt.

Prospere crevit opus, magno
animarum fructu tum sociorum tum
etiam omnium quotquot percipiunt
praeclera eorundem exempla,
quando, absolutis studiis, pro
Ecclesia egregie adlaborant.

Hujus associationis regulae,
decennali experientia perpensae,
adprobatae fuere a me, qui eam

canonice erexit ut Piam Unionem
anno 1941.

Eos vero jam protulit associatio
fructus, eosque promittit in bonum
animatorum, ut ejusdem fundator et
socii vehementer exoptent illam
firmiori soliditate et altiori vita
canonica munire, consulentes
potissimum perfectiori sociorum
christianaeefformationi et
perpetuitati operis in futurum,
necnon + methodi actionis, nullo
hujus exorto detimento ex operis
extensione et dilatatione. Quem in
finem constitui desiderant in
Societatem juxta Tit. XVII Partis II
Libri II Codicis Juris Canonici,
Canones 673 &. Idque a me petunt.

Eisdem optatis et ego abundo, et
firmiter credo pleniores inde
futuram vitam religiosam operis,
hujus socios majori perfectione in
praxim ducturos consilia Evangelica,
quae hodie fervida, exemplari vita

colunt, eorumque apostolatum
induturum majoren extensionem et
efficaciam in salutem animarum
atque Sanctae Ecclesiae gloriam.

Adimplendis igitur Canonibus 674 et
492, consulendi ergo, rem ad Sedem
Apostolicam defero, humiliter ab ea
postulans ut dignetur elargiri mihi
"nihil obstat" erigendae Societati
juxta Constitutiones, quarum
lineamenta generalia adnexa
remitto, omnia correctioni Sanctae
Romanae Ecclesiae subdens dum
filiali animo pando extraordinarium
incepti momentum, maximan
utilitatem fructuum sanctificationis
in hanc diem obtentorum, et spem
augmenti eorundem concessione
gratiae, ideoque ardens meum
desiderium ut concedatur "nihil
obstat".

Et Deus...

*Matriti, die 22 mense junio, anno
1943.*

+ Leopoldus, Ep.us Matriten.-
Compluten..

Emmno ac Rvdmo Card. Praefecto
S. Congregationis DE RELIGIOSIS.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/solicitud-del-obispo-de-madrid-alcala-a-la-sagrada-congregacion-de-religiosos-en-la-que-pide-el-nihil-obstat-de-la-santa-sede-para-la-ereccion-diocesana-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-22-vi-1943/> (02/07/2025)